

EPISTULA LEONINA

CIV

HEBDOMADALE
PERIODICUM LATINĒ SCRIPTUM,
QUOD ĒDITUR
E DOMO EDITORIĀ INTERRETIALI
CUI NOMEN EST
LEO LATINUS



<http://www.leolatinus.de/>

N.B.! EPISTULAS LEONINAS ACCIPIS **GRATIS** ET **SINE ULLĀ OBLIGATIONE**. NAM LEO LATINUS PUTAT HOMINIBUS LATINAM LINGUAM DISCENTIBUS AUT DOCENTIBUS CORDI ESSE VERBA LATINA. **SI TAMEN TALES EPISTULAS ACCIPERE NON VIS, RESCRIBE HOC NOBIS: TUM STATIM NOMEN TUUM EX INDICE ACCEPTORUM TOLLEMUS.**

HŌC TEMPORE DUO FERĒ MILIA HOMINUM LATINĒ DOCTORUM ACCIPIUNT EPISTULAS LEONINAS ELECTRONICĒ MISSAS. EPISTULAS LEONINAS **I-CIII** INVENIES IN INTERRETI SUB HAC INSCRIPTIONE, QUAE SEQUITUR: <http://ephemeris.alcuinus.net/leonina/>

MAXIMĒ ID CURAMUS, UT COPIAM VERBORUM LATINORUM CONVENIENTER AUGEAMUS ET TEXTŪS MODERNOS CUIUSVIS ARGUMENTI QUAM OPTIMĒ IN LATINUM SERMONEM CONVERTAMUS.

ROGATUR, UT MANUSCRIPTA MITTANTUR VIĀ ELECTRONICĀ. MENDA SIVE GRAMMATICA SIVE METRICA, QUOAD FIERI POTEST, TACITĒ TOLLUNTUR.

EN HABES EPISTULAM LEONINAM
CENTESIMAM QUARTAM (104) !

ARGUMENTA

1. DE AMALTHEA SIBYLLA LACTANTIUS QUID NARRET.....03
2. PAULI EPISTULA AD PHILEMONEM VERSIO LATINA.....10
3. HISTORIA CACAONIS ET SOCOLATAE (I)12

LEO LATINUS OMNIBUS HOMINIBUS LATINITATIS
AMANTIBUS. SAL.PLUR.DIC. S.V.B.E.E.V.

Cara Lectrix, Care Lector,

maximê gaudeo, quod mihi licet Tibi offerre Epistulam Leoninam centesimam quartam.

*Primo loco leviter tangemus Amaltheam Sibyllam mysteriale, quae rêgi Tarquinio Superbo magno pretio praebuit emendos famosissimos illos novem **libros Sibyllinos**. Lactantius refert regem pretii magnitudinem bis aspernatum esse mulieris insaniam deridentem; itaque Amaltheam bis ternos libros in ignem iniecisse. Tum Tarquinium motum esse ac residuos trecentis aureis emisse. Interdum, ut verum confitear, egomet ipse libros Leonis Latini praebens emendos mihi videor esse illi Amaltheae aliquatenus similis; sed adhuc nullum librum Vulcano mandavi et patienter exspecto te empturum... Dum spiro spero.*

*Altero loco tibi offero **versionem epistulae Pauli ad Philemonem** scriptae, quam confecit Paulus Kangiser. Quam versionem tabellae imposui, cui insunt etiam textus originalis et versiones Vulgatae et Schottiana. Quam synopsis theologiam tibi plurimum commendo. -*

*A theologiâ conversus sum ad **theobromatologiam**: Tertio loco lege, cara Lectrix, care Lector, primam partem **Historiae cacaonis et socolatae**.*

Tu autem pancraticê vale et perge mihi favere!

Medullitus Te salutatur

Nicolaus Groß



<http://www.leolatinus.com/>

LEO LATINUS

Senden ex oppidulo Bavariae Suebicae, d. ,
die Saturni 7. m. Maii a.2016

wol der poeten gedicht lagē lie lpe vō dem gott apol-
line lieb gehabt, vnd darvñ von im begäbet mit langē
leben: vnd hailig gemachet,



Das ist doch recht zuevst an natürllich dz sie vnder den
besten pñflüssen der suñen geboren sye/wañ apollo be-
dütet die suñen/darvñ in ain güte complexion/zü gros

MOTUM ESSE REGEM


AC RESIDUOS

TRECENTIS AUREIS EMISSE

LACTANTIUS, Divinae Institutiones 1,6 Sextam (sc. Sibyllam) Samiam de qua scribit Eratosthenes in antiquis annalibus Samiorum repeisse se scriptum: septimam Cumanam nomine **Amaltheam**, quae ab aliis Demophile uel Herophile nominatur; **eamque nouem libros attulisse ad regem Tarquinium Priscum, ac pro eis trecentos Philippeos postulasse**; regemque asperratum pretii magnitudinem, derisisse mulieris insaniam: illam in conspectu Regis tres combussisse, ac pro reliquis idem pretium postulasse: Tarquinium multo magis mulierem insanire putasse. Quae denuo tribus aliis exustis, cum in eodem pretio perseueraret, **motum esse regem, ac residuos trecentis aureis emisse**: quorum postea numerus sit auctus, Capitolio refecto, quod ex omnibus ciuitatibus et Italicis, et Graecis, et praecipue Erythraeis coacti, allatique sunt Romam, cuiuscumque Sibyllae nomine fuerint:

EPISTULA SANCTI PAULI APOSTOLI AD PHILEMONEM SCRIPTA

Quam praefatus Latine reddidit Paulus Kangiser Iacobopolitanus



Christiani, cum Romam primum venissent, Graece loquebantur, scribebant liturgiamque agebant; sed postea, aetate Theodosiana saeculo IV vel paulo ante, Latinitate uti coeperunt; itaque Sancti Damasi iussu Hieronymus Bibliam omnibus Vulgatam Latine edidit; satis autem constat hanc versionem non esse Ciceronianam, sed aptam plurimis lectoribus, quam etiam nunc habemus in manibus. Attamen scire liceat, quo modo Hieronymus composuisset si, re ficta, aetate Ciceroniana scripsisset.

Propositum meum fuit brevem epistulam Paulinam ad Philemonem ita rescribere, ut saeculo primo a. Chr. natum composita videretur; quem eventum lectores humanissimi bono animo iudicabunt necnon correctiones fortasse proposuerint; in hac brevi epistula Paulus apostolus Philemoni servum Onesimum cum litteris mittit, eo consilio, ut Philemon servo ignoscat, quod a se fugerat. Paulus qui, in carcere tunc erat, eum receperat atque in fidem Christianam induxerat, neque orat Philemonem, ut servo det libertatem et tamquam fratrem diligit.

PAULUS ad Philemonem ¹ .	Vulgata
ΠΑΥΛΟΣ δέσμιος Χριστοῦ Ἰησοῦ καὶ Τιμόθεος ὁ ἀδελφὸς Φιλήμονι τῷ ἀγαπητῷ καὶ συνεργῷ ἡμῶν	1 Paulus vincetus Christi Iesu, et Timotheus frater: Philemoni dilecto, et adiutori nostro
[2] καὶ Ἀπφία τῇ ἀδελφῇ καὶ Ἀρχίππῳ τῷ συστρατιώτῃ ἡμῶν καὶ τῇ κατ' οἶκόν σου ἐκκλησίᾳ:	2 et Appiae sorori charissimae, et Archippo commilitoni nostro, et Ecclesiae, quae in domo tua est.
[3] χάρις ὑμῖν καὶ εἰρήνη ἀπὸ θεοῦ πατρὸς ἡμῶν καὶ κυρίου Ἰησοῦ Χριστοῦ.	3 Gratia vobis, et pax a Deo Patre nostro, et Domino Iesu Christo.
Versio Schottiana ²	Versio Kangiseriana
(1) Paulus, Jesu M. causa in vincula coniectus, atque Timotheus frater (collega), Philemoni carissimo, laborum meorum socio,	(1) Paulus, Iesu Christo addictus, et Timotheus frater, Philemoni dilecto et adiutori nostro,
(2) itemque Appiae dilectae, et Archippo commilitoni meo, atque coetui, qui in aedibus tuis solet convenire;	(2) et Appiae sorori et Archippo, commilitoni nostro, et sodalibus, qui in aedibus tuis congregantur,
(3) apprecantur, ut omnigena vobis felicitas contingat auctore Deo patre nostro atque Domino Jesu M.	(3) gratia vobis et pax a Deo Patre nostro et Domino Iesu Christo.

¹ Novum Testamentum Graece et Latine. Utrumque textum cum apparatu critico imprimendum curavit D.Dr. Eberhard Nestle, novis curis elaboraverunt D.Dr. Erwin Nestle et D. Kurt Aland D.D. Editio undevicesima Stuttgart 1960. p.546-547: Epistola Beati Pauli Apostoli Ad Philemonem.

² Heinrich August Schott, Novum Testamentum Graece et Latine, tom.II, Lipsiae 1809, p.383-387: Pauli Jesu Legati Ad Philemonem Epistula.

PAULUS ad Philemonem	Vulgata
[4] Εὐχαριστῶ τῷ θεῷ μου πάντοτε μνηΐαν σου ποιούμενος ἐπὶ τῶν προσευχῶν μου,	4 Gratias ago Deo meo, semper memoriam tui faciens in orationibus meis,
[5] ἀκούων σου τὴν ἀγάπην καὶ τὴν πίστιν ἣν ἔχεις εἰς τὸν κύριον Ἰησοῦν καὶ εἰς πάντας τοὺς ἁγίους,	5 audiens charitatem tuam, et fidem, quam habes in Domino Iesu, et in omnes sanctos,
[6] ὅπως ἡ κοινωνία τῆς πίστεώς σου ἐνεργῆς γένηται ἐν ἐπιγνώσει παντὸς ἀγαθοῦ [τοῦ] ἐν ἡμῖν εἰς Χριστόν:	6 ut communicatio fidei tuae evidens fiat in agnitione omnis operis boni, quod est in vobis in Christo Iesu.
[7] χαρὰν γὰρ πολλὴν ἔσχον καὶ παράκλησιν ἐπὶ τῇ ἀγάπῃ σου, ὅτι τὰ σπλάγχνα τῶν ἁγίων ἀναπέπαιται διὰ σοῦ, ἀδελφέ.	7 Gaudium enim magnum habui, et consolationem in charitate tua: quia viscera sanctorum requieverunt per te, frater.
[8] Διό, πολλὴν ἐν Χριστῷ παρρησίαν ἔχων ἐπιτάσσειν σοι τὸ ἀνῆκον,	8 Propter quod multam fiduciam habens in Christo imperandi tibi quod ad rem pertinet:
[9] διὰ τὴν ἀγάπην μᾶλλον παρακαλῶ, τοιοῦτος ὢν ὡς Παῦλος πρεσβύτης νυνὶ δὲ καὶ δέσμιος Χριστοῦ Ἰησοῦ,—	9 propter charitatem magis obsecro, cum sis ³ talis, ut Paulus senex, nunc autem et vincetus Christi Iesu;
Versio Schottiana	Versio Kangiseriana
(4) Gratias ago Deo meo, quotiescunque tui memoriam in precibus recolo;	(4) Cum Deo meo precatus sum, tum etiam tui memor gratias semper
(5) quum cognoverim tuum, quem praestes, amorem fidemque erga Dominum Jesum omnesque Deo consecratos (Jesu cultores);	(5) Ei ago quod amorem et fidelitatem, ut audivi, erga Dominum Iesum omnesque sanctificatos habeas,
(6) unde fit, ut religionis studium, quod mecum habes commune, vim suam exserat, ut, quae nobis inest, virtus omnis innotescat, quod in Jesu M. doctrinae cedat commodum.	(6) ita ut fides tua communicata sit omnibus, qui opera bona per te a Christo facta videant;
(7) Magnum quippe gaudium et solatium e tua liberalitate percepi, quum, quos intimo amplectar amore, Deo devoti, tua, frater, opera fuerint recreati.	(7) magnopere idcirco gavisus sum neque exiguum ex tua charitate gaudium cepi, quia, te auctore, frater, credentium corda visceraque quiescerunt;
(8) Quapropter, etsi, tanquam Messiae legatus, magna possim confidentia uti imperando tibi, quae facere deceat,	(8) quapropter, quamvis multa apud Christum fiducia sit mihi, ut omnia tibi imperem, quae opus essent,
(9) malo tamen, amore (erga te) ductus te rogare, quum talis sim , Paulus, aetate provector, in vincula nunc propter Jesum coniectus.	(9) tamen, cum sim Paulus ille senex et nunc in Christi vinculis, propter charitatem praesertim

³ Sic legitur in Vulgata! Secundum textum originale rectè scribendum est: **sim** (cfr Schott, Kangiser).

PAULUS ad Philemonem	Vulgata
[10] παρακαλῶ σε περὶ τοῦ ἐμοῦ τέκνου,	10 obsecro te de meo filio,
[11] ὃν ἐγέννησα ἐν τοῖς δεσμοῖς Ὀνήσιμον, τὸν ποτέ σοι ἄχρηστον νυνὶ δὲ σοὶ καὶ ἐμοὶ εὐχρηστον,	11 quem genui in vinculis, Onesimo, qui tibi aliquando inutilis fuit, nunc autem et mihi, et tibi utilis,
[12] ὃν ἀνέπεμψά σοι αὐτόν, τοῦτ' ἔστιν τὰ ἐμὰ σπλάγχνα:	12 quem remisi tibi: Tu autem illum, ut mea viscera, suscipe:
[13] ὃν ἐγὼ ἐβουλόμην πρὸς ἐμαυτὸν κατέχειν, ἵνα ὑπὲρ σοῦ μοι διακονῇ ἐν τοῖς δεσμοῖς τοῦ εὐαγγελίου,	13 quem ego volueram mecum detinere, ut pro te mihi ministraret in vinculis Evangelii:
[14] χωρὶς δὲ τῆς σῆς γνώμης οὐδὲν ἠθέλησα ποιῆσαι, ἵνα μὴ ὡς κατὰ ἀνάγκην τὸ ἀγαθὸν σου ἢ ἀλλὰ κατὰ ἐκούσιον.	14 sine consilio autem tuo nihil volui facere, uti ne velut ex necessitate bonum tuum esset, sed voluntarium.
Versio Schottiana	Versio Kangiseriana
(10) Rogo scilicet te filii (discipuli) mei causa,	(10) te obsecro pro filio meo Onesimo,
(11) quem vinculis constrictus genui (Jesu cultorem reddidi), Onesimi olim tibi quidem inutilis (noxii), nunc vero tibi pariter quam mihi utilis, quem remisi;	(11) quem in carcere genui, qui tibi inutilis aliquando fuit, nunc autem et tibi et mihi utilis;
(12) hunc virum, id est medullam meam (mihi dilectissimum), benigne, velim recipias.	(12) hunc igitur, tamen tibi mitto quasi viscera mea;
(13) Etsi enim maluissem illum apud me retinere, ut tuo loco ministerium mihi doctrinae causa in vincula dato praestaret;	(13) quamvis retinere voluerim ut in hoc Evangelii causa carcere mihi pro te ministraret,
(14) Nolui tamen te inconsulto quicquam facere, ne beneficium tuum veluti vi extortum esset, sed sponte oblatum.	(14) insuper nihil, te invito, agere volui ne adductus videres, sed tua sponte facturus;

PAULUS ad Philemonem.	Vulgata
[15] τάχα γὰρ διὰ τοῦτο ἐχωρίσθη πρὸς ὥραν ἵνα αἰώνιον αὐτὸν ἀπέχης,	15 Forsitan enim ideo discessit ad horam a te, ut aeternum illum reciperes,
[16] οὐκέτι ὡς δοῦλον ἀλλὰ ὑπὲρ δοῦλον, ἀδελφὸν ἀγαπητόν, μάλιστα ἐμοί, πόσω δὲ μᾶλλον σοὶ καὶ ἐν σαρκὶ καὶ ἐν κυρίῳ.	16 iam non ut servum, sed pro servo charissimum fratrem, maxime mihi: quanto autem magis tibi et in carne, et in Domino?
[17] εἰ οὖν με ἔχεις κοινωνόν, προσλαβοῦ αὐτὸν ὡς ἐμέ.	17 Si ergo habes me socium, suscipe illum sicut me:
[18] εἰ δέ τι ἠδίκησέν σε ἢ ὀφείλει, τοῦτο ἐμοὶ ἐλλόγα:	18 Si autem aliquid nocuit tibi. aut debet: hoc mihi imputa.
[19] ἐγὼ Παῦλος ἔγραψα τῇ ἐμῇ χειρὶ, ἐγὼ ἀποτίσω: ἵνα μὴ λέγω σοὶ ὅτι καὶ σεαυτὸν μοι προσοφείλεις.	19 Ego Paulus scripsi mea manu: ego reddam, ut non dicam tibi, quod et te ipsum mihi debes:
[20] ναί, ἀδελφέ, ἐγὼ σου ὀναίμην ἐν κυρίῳ: ἀνάπαυσόν μου τὰ σπλάγχχνα ἐν Χριστῷ.	20 ita, frater. Ego te fruar in Domino: Refice viscera mea in Domino!
Versio Schottiana	Versio Kangiseriana
(15) Fortassis enim propterea ad breve tempus a te separatus est, ut eundem in perpetuum possideres,	(15) etiam accidere potuit ut is ad tempus abs te discesserit ut in aeternum postea accipere possis,
(16) non amplius servum (tibi) futurum, sed potiozem servo fratrem (religionis socium), mihi maxime, quanto (multo) magis tibi dilectum, cum rerum externarum, tum Domini (religionis) gratia).	(16) iam non ut servum sed amplius quam servum, scilicet, fratrem mihi maxime dilectum quanto magis tibi in corpore et in Domino;
(17) Quodsi me sodalem (amicum) habes, recipe eum, ut me ipsum;	(17) itaque si me tibi familiarem habes, illum sicut me suscipe;
(18) sin aliqua iniuria te adfecerit, aut aliquid tibi debuerit, mihi id feras expensum.	(18) si quid tibi nocuit aut debeat, id a me debitum puta;
(19) Equidem Paulus propria manu scripsi, ego (tibi) rependam, ne quid de eo moneam, quod te ipsum (animi tui salutem) mihi debeas.	(19) ego Paulus mea manu scripsi, ego reddam; ne tibi dicam id quod et ipse mihi debes;
(20) Vellem sane, per Dominum (te obtestor), hunc ex te fructum percipere; recrees, quaeso, per Messiam virum mihi dilectissimum!	(20) ita, frater, ego te in Domino fruar visceraque mea in Christo refice!

PAULUS ad Philemonem.	Vulgata
[21] Πεποιθὼς τῇ ὑπακοῇ σου ἔγραψά σοι, εἰδὼς ὅτι καὶ ὑπὲρ ἃ λέγω ποιήσεις.	21 Confidens in obedientia tua scripsi tibi: sciens quoniam et super id, quod dico, facies.
[22] ἅμα δὲ καὶ ἐτοίμαζέ μοι ξενίαν, ἐλπίζω γὰρ ὅτι διὰ τῶν προσευχῶν ἰμῶν χαρισθήσομαι ὑμῖν.	22 Simul autem et para mihi hospitium: nam spero per orationes vestras donari me vobis.
[23] Ἀσπάζεται σε Ἐπαφρᾶς ὁ συναιχμάλωτός μου ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ,	23 Salutatur te Epaphras concaptivus meus in Christo Iesu,
[24] Μάρκος, Ἀρίσταρχος, Δημᾶς, Λουκᾶς, οἱ συνεργοί μου.	24 Marcus, Aristarchus, Demas, et Lucas, adiutores mei.
[25] Ἡ χάρις τοῦ κυρίου Ἰησοῦ Χριστοῦ μετὰ τοῦ πνεύματος ὑμῶν.	25 Gratia Domini nostri Iesu Christi cum spiritu vestro. Amen.
Versio Schottiana	Versio Kangiseriana
(21) Fretus obedientia tua (doctrina praestita) haec ad te perscripsi, persuasus, te vel plura esse facturum iis, quae petierim.	(21) Tibi confisus scripsi fore ut me exaudias et amplius quam dico facias;
(22) Insimul para mihi hospitium; spero quippe me propter preces vestras vobis condonatum iri.	(22) simul autem mihi et hospitium para; spero enim vestris precibus me vobis restitutum iri.
(23) Salutant te Epaphroditus, una mecum propter Jesum M. in vincula datus,	(23) Salutant te Epaphras, meus in captivitate propter Christum socius,
(24) Marcus, Aristarchus, Demetrius, Lucas, laborum meorum socii.	(24) et Marcus, Aristarchus, Demas, Lucasque adiutores mei.
(25) Benevolentia Domini nostri Jesu M. animis vestris (vobis) adsit!	(25) Gratia Domini Iesu Christi cum spiritu vestro.

**SANCTI PAULI EPISTULAM
AD PHILEMONEM SCRIPTAM
IN LATINUM CONVERTIT
PAULUS KANGISER
CHILIANUS IACOBOPOLITANUS
TEXTUM ORIGINALEM
VERSIONEMQUE VULGATAE
NECNON VERSIONEM
HENRICI AUGUSTI SCHOTT LATINAM
ADIECIT TABELLAEQVE SYNOPTICAE INDIDIT
NICOLAUS GROSS**




LEO LATINUS

<http://www.leolatinus.de/>

ECCE FABULA NOVELLA
MARIAE DE EBNER-ESCHENBACH
CRAMBAMBULUS

(Krambambuli)



QUAM IN LATINUM CONVERTIT
NICOLAUS GROSS



LEO LATINUS

<http://www.leolatinus.com/>

CD ROM pdf

€ 19,50

Hic discus compactus textualis constat 19,50 € et directê per epistulam electronicam mandari potest a domo editoriâ, quae appellatur LEO LATINUS: SPQR@LEOLATINUS.COM TOLLE LEGE !

**THEOBROMATOLOGIA
SIVE
HISTORIA CACAONIS ET
SOCOLATAE
(I)**



ECCE ARBOR ET FRUCTUS ET FABAE CACAONIS

Systematica et etymologica

Arbor cacaonis, cui *Carolus Linneus* imposuit nomen systematicum, quod est *Theobroma cacao*, spectat ad subfamiliam *Sterculiodearum*, familiam *Malvacearum*. Praeter *Theobroma* notissima genera subfamiliae sunt *Sterculia* et *Cola*. *Sterculia*, e.g. *Sterculia foetida*, floribus est foetidis; nomen genericum ducitur a *Sterculio*, deo Romanorum stercoris sive fimi sive laetaminis¹. Nomen *Theobromatis* ducitur a graecis verbis, q.s. ὁ Θεός ‚deus’ et τὸ βρῶμα ‚cibus, esca’. Quare Linneus cacaonem nominavit *cibum divinum*? Azteci, id est indigenae Mexici, crediderunt cacaonem esse cibum deorum. Num Linneus hoc iam scivit? An ei ipsi (eiusque coaequalibus christianis) cacao videbatur esse arbor divina fructûs ferens divinos?

Nomen autem cacaonis² est originis aztecicae et ducitur a ***cacahuatl*** aut ***cacauatl***. Aliquod potulentum gentis Mayarum e cacaone confectum appellabatur ***xocoatel*** sive ***chocolatl***. Ex hōc nomine Mayano exortum est nostrum vocabulum ***socolatae***³.

Descriptio arboris

Planta *Theobromatis cacaonis* est arbor parva altitudine 4 minimum, octo maximum metrorum⁴, ramis horizontaliter distantibus, qui dilatantur formâ tabulatorum. Arbor radice palari humo est impacta. Lignum arboris cacaonis est coloris rubidi, leve, porosum. Folia sunt semper viridia, triginta maximum centimetra longa, latê ovalia, nervosa, acuminata.

Arbor cacaonis per totum annum floret semperque fert fructûs. Flores albido-flavi vix unum centimetrum sunt longi, odoris expertes, fasciculatim crescunt aut ex ipso stipite aut e ramis lateralibus crassioribus, in axillis arborum emortuarum. Flores sunt quinis petalis et quinis staminibus sterilibus necnon quinque

¹ Apud Tertullianum (apol.25) invenitur Sterculus, apud Plinium (nat.17,50) Stercutus, apud Servium (Verg.Georg.1,21) Sterculinius.

² cacaō, -ōnis f. cfr Christian Helfer, *Lexicon auxiliare*, 3.ed., Saarbrücken 1991, p.296. Adiectivum *cacaōticus, -a, -um invenitur in versione Robinsonis illius Campe (ed. a.1823, p.15): fabae cacaoticae, sed etiam in nominibus botanicis, e.g. Bapalmuia cacaotica (est species fungorum) et zoologicis (e.g. *Astrogordius cacaoticus*). Memini Patrem Caelestem (i.e. Iosephus Antonius Eichenseer, 1924-2008), magistrum meum Latine loquendi et scribendi, stricte distinxisse inter nomen plantae et potionis: Dixit enim cacaonem pro arbore, cocoam (cocoa, -ae f.) pro potione; similiter distinxit inter plantam coffeae (*coffea, -ae f.) et potionem cafeae (*cafea, -ae f. sive potio arabica).

³ *socolāta, -ae f. cfr Christian Helfer, *Lexicon Auxiliare*, ed.3.a, Saarbrücken 1991, p.487, cfr ngr. σοκολάτα).

⁴ Tantulâ altitudine arbor cacaonis est in plantationibus, ubi resecatur; at in regionibus incultis solet crescere usque ad altitudinem 15 metrorum (<https://de.wikipedia.org/wiki/Kakaobaum>).

staminibus fertilibus. Flores maximam partem pollinantur a culicellis musculisve.



Ecce flos cacaonis



**Dr. Yann Clough oecologus agrarius Gottingensis
in Sulawesi insulâ Indonesianâ manu pollinat florem cacaonis.**

Fructûs cacaonis sunt bacae siccae 15 - 20 cm longae, aliquatenus cucumeribus similes, coloris viriduli sut flavi aut rubiginosi. Fructui insunt quinque ordines vicenorum quinquaginta maximum seminum. Semina matura imposita sunt puli rubidae fructuosae, quae appellatur pulpa. Color testae seminum albus siccando mutatur in ruborem cacaoticum. Materiae seminum praecipuae sunt lipida (> 50 %), amyllum (7 %), proteina (12 %), theobrominum et coffeinum.

Fructûs maturescunt intra spatium mensium quinque minimum, octo maximum. Maturi si sunt, non se absolvunt, sed ibidem manent pendentibus usque ad putrescentiam. At iidem devorantur a multis animalibus mammalibus, qui ideo efficiunt, ut semina latê diffundantur.



Fructus cacaonis apertus. Apparent testa et pulpa.



Testa seminaque cacaonis

- Fructûs immaturi coloris sunt viridis et maturando fiunt flavi aut rubido-flavi aut rubido-brunnei.
- Fructûs crescunt ex ipso stipite arboris cacaonis, quae spectat ad familiam Malvacearum.
- Id quod nos vocamus fabam cacaonis, inest testae fructûs cacaonis durae.



Fabae cacaonis immaturae testâ inclusae

Structurae fabae cacaoticae

1. Forma fructûs cacaonis potius est longitudinalis quam rotunda; fructus longitudine est maximâ viginti quinque centimetrorum.
2. Structura fructûs comparari potest cum aliis fructibus meridionalibus. Fabae cacaoticae circumscissae sunt testâ perdurâ et coriaceâ.
3. Intra hanc testam fabae ordinatae sunt quinque ordinibus, unus fructus capit quinquaginta maximum fabas.
4. Faba cacaonis duo tantum centimetra longa est, unum centimetrum lata. Circumdata est pulpâ albi coloris, dulcis saporis.
5. Pulpa est viscosa; in terris occidentalibus, quamvis sit saporis dulcis, vix comeditur.
6. Semina tantum adhibentur, fabae illae illustres cacaonis, ex quibus conficiuntur cacaonis butyrum et pulvis et massa.

Origo/ diffusio/ regiones cacaonis colendae

Verisimile est cacaonem exortam esse prope flumina Americae meridionalis, quae sunt *Amazonas* et *Orinoco*. Sed cum in Mexico quoque inventae sunt multae cacaones ferae, regio cacaonis originalis non est certa.



**Fructus cacaonis (integer, apertus)
et semen cacaonis (crudum, fermentatum, tostum)**

Arbor cacaonis ex longo iam tempore ab indianis adhibebatur et colebatur nencon multum valebat ad mythos eorum. Cacao fuit indianorum nutrimentum, potulentum, moneta, necnon medicamentum aphrodisiacum. Fabae cacaoticae ab Aztecis appellabantur *cacahuatl* (quod ducitur a verbo Mayarum, q.e. *ka-ka-wa*), potio autem inde confecta *chocolatl*. Maturê indiani cacaone usi sunt ad cutis exanthemata, labia fissa sananda, ad partum allevandum, ad haemostasin augendam e.m.al.

Ab Hispanis cacao saeculo decimo sexto in Europam importata est, ubi primo tardê tantum diffundebatur, quia Hispani possidebant cacaonis monopolium commerciale.

Socolata solida saccharo commixta fertur inventa esse a piis sororibus Cubani monasterii *Guanabaco*. Usus cocoaë, id est potionis cacaoticae, necnon socolatae inde ex saeculo decimo septimo in Europâ uberrimê percrebrescebat. Quo plus cacaonis in Europâ consumebatur, eo maiores factae sunt regiones cacaonis colendae, in Americâ mediâ atque meridionali exortae sunt plantationes cacaonum, in insulâ Taprobane (*Sri Lanka*), Indonesiâ, Neoguineâ, in Insulis Philippinis. In Africam cacao importata est undevicesimo demum saeculo, sed hodie ibidem dimidia pars producitur⁵ productionis mundanae. Terrae huius mundi cacaonis productrices omnium maximae sunt Litus Eboris (1,225 miliones tonnarum), Ghana (0,475 mio. t), Indonesia (0,426 mio. t), Nigeria (0,380 mio. t), Brasiliën (0,171 mio. t) (Hi numeri spectant ad messem a.2003 factam).

Cultura / Indigentia habitationis

Planta cacaonis est tropica neque crescit nisi in regionibus, ubi praecipitatio annua est maior duobus milibus milimetrorum. Praeterea cacao indiget temperaturâ annuâ mediâ 24-28 °C (viginti quattuor minimum, duodetriginta maximum graduum Celsianorum), parvis tantum temperaturae mutationibus, multo

⁵ Consentaneum est, ut verbo antiquo producendi eiusque derivationibus etiam utamur sensu moderno (qui latê patet multis in linguis modernis). Hoc iam factum est in litteris Latinis saeculi octavi decimi, e.g.: Sebaldu a Sancto Christophoro, *Alphabetum I. Quaestionum Miscellaneorum canonico-theologicalium...*, Herbipoli 1733, p.148sq.: "*Industriales* appellantur, ad quorum **productionem** singularis vel notabilis industria hominis desideratur, ut segestes, uvae, oleum, frumentum, vinum, cerevisia, caseus, butyrum, sata omnia in agris et hortis etc., quos fructus civilistae vocant *industriales*; licet aliis videantur *mixti*; utpote cum ad eorum **productionem** natura et opera hominis pariter concurrant, sicque *mere industriales* dicendi sunt illi fructus, ad quorum productionem plus confert industria et labor hominis quam natura..." – cfr Heinrich Gottlob Pemitzsch, *Acta Societatis Iablonovianae Nova*, Tomus V, Lipsiae 1834, p.42: "Et si quidem haec posterior omnino **productionem** ruralem certo ad summum gradum provehit, ..." - Similiter licet adhibere verba q.s. productor, productivus, productivitas, terra productrix e.al.

umore aeris necnon umbrâ, quia est planta silvae incaeduae relativê humilis. Itaque plantationum cacaonibus interseruntur plantae umbriferae, quae appellantur plantae maternae, e.g. musae⁶ et palmae, quibus alii quoque fructûs metuntur et impeditur, ne humus elixivetur.

Varietates cacaonis excultae

Intra speciem, quae est *Theobroma cacao*, permultae varietates distinguuntur, quae derivantur e duabus varietatibus fundamentalibus, quae sunt *criollo* et *forastero*. Cacao *criollo*, cui est cognomen »nobilis«, est perbono aromate, sed tantâ mollitie, ut facile incidat in morbos. E contrario cacao *forastero* est peioris aromatis, sed valdê vivax patiensque morborum. Varietates cacaonis hodierno plerumque sunt utriusque varietatis mixturae, e.g. cacao *trinitario*, qua ambae qualitates bonae, id est aroma bonum et vivacitas, inter se coniunctae sunt.

Messis et reconditio

Fructûs cacaonis metuntur eo, quod cultro aut machaerâ Hispanâ⁷ ex arbore caeduntur. Statim post messem fructûs aperiuntur et semina eximuntur, ne germinent ipso in fructu. Eadem postea cistis fermentatoriis imponuntur aut accumulata obteguntur foliis musaceis.

Sequuntur fermentatio alcoholica et acetica, quibus microorganismi destruant sacchara, quae insunt pulpae. Calore (circiter 45 graduum Celsianorum), qui inter fermentationes oritur, efficiuntur processûs enzymatici, quibus semina germinantia moribunda colorem ducant genuinê socolateum.

Sex ferê diebus transactis fermentatio est finita, fabae lavantur et calore sexaginta graduum Celsianorum siccantur, ne aqua illis immaneat nisi portio aquae quinarum minimum, octonarum maximum partium centesimarum. Deinde fabae secundum qualitates distribuuntur et saccis induntur et – plerumque nave - exportantur.

⁶ +**mūsa**, -ae f. significat plantam, quae anglicê dicitur *banana*. +Musa est verbum mediaevale, quod ducitur ab arabico *mauz* (موز), quod ipsum derivatum est a sanscrito *moca*. Botanistae confinxerunt adiectivum *musaceus, -a, -um.

⁷ **machaera Hispana** invenitur apud Senecam (De Beneficiis 5,24). Qua voce hîc nuncupo cultrum longiorem, qui hispanicê appellatur *machete*. Hôc cultro messorum harundinis sacchariferae ûti solent.



Fabae cacaonis foliis musaceis obtectae fermentantur

Cacao quomodo pertractetur

Quid fit de partibus fructuum cacaonis relictis? Testae adhibentur ad laetamen aut pabulum pecorum aut materiam calefactoriam faciendam. Puls fructuum adhibetur ad gelamina (*gelée*) alcohol aut acetum conficiendum.

Fabae cacaonis in terrâ, ubi consumitur, calore 130 °C (centum triginta graduum Celsianorum) torrentur, ut testae seminum absolvantur et oriatur aroma socolatae typicum. E seminibus pressione circiter 900 bar (nongentorum barorum) exprimitur pinguamen, quod nomine butyri cacaotici venditur et adhibetur ad socolatam aut cosmetica conficienda. Ex partibus post pressionem residuis molendo gignitur pulvis cacaoticus, qui deinde pertractatur methodo *Conradi Iohannis van Houten (1801-1887)*.

Cacao quantum valeat ad oeconomiam

Secundum FAOSTAT a.2010 in toto orbe terrarum producta sunt 4,2 miliones tonnarum seminum cacaonis, quorum ex Africâ exorta erant 2,7 miliones tonnarum. Ex a.1948 productio cacaonis

mundana est quaduplicata; inde apparet vim cacaonis continuo exaugeri.

Difficile est vitam nostram cottidianam animo confingere sine cacaone et socolatâ degendam. Butyrum cacaonis utile est ad socolatam albam conficiendam (quae multo plures habet calorias quam socolata brunnea!). Quia butyrum cacaonis non rancescit nisi lentissimê et liquefit temperaturâ corporis, in arte cosmeticâ est additamentum magni momenti, e.g. unguentorum.

Litterae adhibitae

FRANKE (1976): Nutzpflanzenkunde. Nutzbare Gewächse der Gemäßigten Breiten, Subtropen und Tropen. Stuttgart. Urania Pflanzenreich. Blütenpflanzen 2. (1994).Leipzig.



CONRADUS IOHANNES VAN HOUTEN

(1801-1887)

Batavus pharmacopola et chemista,
inventor pulveris cacaotici.

RELATIUNCULAM, CUIUS TITULUS EST

***INFOBLATT KAKAO –
KAKAO IM ÜBERBLICK***

<https://www.klett.de/alias/1010329>

QUAM SCRIPSIT

ANETT SIEBERT

**IN LATINUM CONVERTIT
IMAGINIBUSQUE INSTRUXIT
ADDITICIIS**

NICOLAUS GROSS



LEO LATINUS

<http://www.leolatinus.de/>

**EN FABELLAM PALAEOINDICAM
C.T.**

DE TEXTORE VERSUTO



**E SANSCRITO SERMONE
IN LATINUM CONVERTIT
NICOLAUS GROSS**



LEO LATINUS

<http://www.leolatinus.com/>

CD ROM pdf

€ 17,90

Hic discus compactus textualis constat 17,90 € et directê per epistulam electronicam mandari potest a domo editoriâ, quae appellatur LEO LATINUS: SPQR@LEOLATINUS.COM TOLLE LEGE !

ECCE LIBRI LEONIS LATINI

Permittas, quaeso, ut nuntium adiungam minus gratum: pretia discorum, qui a Leone Latino praebentur vendendi, ex decennio (sic!) non exaucta - proh dolor – nunc valdê augenda sunt (denis euronibus). Interim enim cum pretia materiarum quoque multo exaucta sint, tum praecipuê disci libellique discis subiungendi non conficiuntur neque involvuntur nisi magno cum labore.

Restat, ut afferam titulos pretiaque librorum typis impressorum, qui hôt tempore apud Leonem Latinum prostant venales:

- 1) CRABATUS (Otfried Preußler, Krabat)..... 49,00 €
- 2) FRAGRANTIA (Patrick Süskind, Das Parfum)..... 42,90 €
- 3) RECITATOR (Bernhard Schlink, Der Vorleser)..... 45,90 €
- 4) HOTZENPLOTZIUS (Otfried Preußler, Der Räuber Hotzenplotz)..... 25,00 €
- 5) ARANEA NIGRA (Jeremias Gotthelf, Die schwarze Spinne)..... 22,00 €

PARVUS NICOLAUS (René Goscinny, Le Petit Nicolas) non êditur in domunculâ Leonis Latini, sed in Aedibus Turicensibus, quae appellantur «Diogenes».

Habeas nos excusatos, quod situm interretialem (i.e. anglicê »website« nondum restauravimus novaque pretia ibidem nondum indicavimus.

Ceterum, cara Lectrix, care Lector, bene scias oportet Leonem Latinum non esse megalopolium, quo – ut ita dicam - rapidissimê eiectantur multae myriades librorum vilissimae, sed domunculam potius virtuaalem quam realem, in qua creantur κειμήλια, id est res parvae et rarae et carae. Res parvae enim sunt disci compacti aut libelli typis editi palmares; rarae sunt editiones, quae centuriam tantum complectantur exemplorum; carae sunt hae res omnes, quia cordi sunt Leoni Latino recordanti horas illas innumeras, quibus operam dedit illis creandis.

Cara Lectrix, care Lector, utinam omne opusculum a Leone Latino confectum sit Tibi KTHMA EΙΣ AEI.

**HANC EPISTULAM LEONINAM
CENTESIMAM QUARTAM**

**SENDEN IN OPPIDULO BAVARIAE SUEBICAE
PERFECIT**

Die Saturni, d. 7. m. Maii a.2016

Nicolaus Groß

LEO LATINUS



<http://www.leolatinus.de/>